

dabilis erat, Istrum audacter transiens, Thraciamque ad Macedoniam usque, & Illyricum populans. Gallos quoque Thracibus, & Illyricis permixtos evulsavit, Bojsque. & Taurisco: qui sub Critastro erant, prorsus delevit. Et postea eodem libro: partem hujus regionis desertam reddiderunt Daci, debellatis Bojs, atque Tauriscis Gallicis gentibus. Quid ego sentiam, amice lector aperui: si mihi assentiris, Styriam

universam in hæc Deserta conjicis: hanc quippe Provinciam ad Norici, & Pannoniæ campos & veteri Cætio communi utriusque meta se demittere jam superius ostendi: si vero alterutra ex prioribus opinionibus magis arridet, eadem de causa saltem aliquam Styriæ partem in iis Desertis reperies; elige, quod lubet.

TOPOGRAPHIA DUCATUS CARINTHIÆ.

Carinthiæ ingredimur Provinciam, sylvarum, aut montium horrore nihil quidem Styriæ cedentem, sed plurimis tamen discissam vallibus tritici, aliarumque frugum feracissimis. Altissima montium juga quatuor censentur a S. Udalrici, S. Helenæ, S. Viti, & S. Laurentii nominibus sacrata, quæ etiam adæquat, si non superat proceritate sua, & transossâ per medium via celeberrimus Mons Loibl, qui Meridiem versus Carinthiam à Carnioliâ disternat: neque inferior est alpium catena secus reliquam Meridionalem plagam protenta, & Italiam ab hac regione distinguens. Demum haud minus attolluntur Tirolensium rupium vertices, qui

occidentis Solis jubar Carinthiam subducunt. Non ita vero a frigidis defenditur Aquilonibus, ubi cum Salisburgensi ditione, & Superiori Styria conjungitur, quamvis & hic hujusmodi terræ tubera non desiderentur. Enumerata hæc Carinthiæ confinia claudit Inferior Styria, a qua Orientale illius latus stipatur. Pecorum quoque armentis, uti & pretiosioribus metallis abundare fertur hæc Provincia, sed hæc in terræ visceribus abdita parum profunt, cum pauca ex iis hac tempestate effodiantur. Ferrum tamen, idque probatissimum, pariunt Frisacenses montes, alique Liseræ fontibus propinqui, e quibus copiose etiamnum erutum a multiplici in Oppido Verlach